

tione infallibilitatis, sed debet inter conditiones, quae sunt de fide, in ipsa definitione poni. Ergo haec conditio dicitur esse de fide, et quomodo hoc probatur? An continetur in promissione Christi? Mihi videtur, quod in illa non solummodo non contineatur, sed quod in illa contrarium potius contineatur. Nam negari quidem non potest, quod in relatione Petri ad Ecclesiam, cui Christus voluit infallibilitatem Petri adnexam, contineatur specialis relatio Petri ad Apostolos et proinde etiam ad Episcopos, cum Christus ad Petrum dixerit<sup>1</sup>: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Haec est ergo relatio Pontificis ad Episcopos, quae inest promissioni Christi; ex his vero verbis Christi necessitate cogente, ut mihi videtur, debet concludi, quod fratres quidem, id est Episcopi, ut sint firmi in fide, indigeant auxilio et consilio Petri et successorum eius, non autem viceversa. Unde fit, quod huius sententiae patroni non tam provocent ad loca Sacrae Scripturae quam ad certa quaedam axiomata, quae ipsis prorsus concludentia videntur. Quae nam sunt haec axiomata?

„Primum axioma: Membra debent esse coniuncta capiti et caput membris. Ex hoc axioma deducunt necessitatem pro Papa, ut in definiendis fidei dogmatibus nihil agat sine consilio et concursu fratrum suorum. Antequam ad hanc obiectionem respondeam, meminisse iuvat, agi hic in sententia adversariorum de stricta et absoluta necessitate consilii et auxilii Episcoporum in quovis infallibili iudicio dogmatico Romani Pontificis, ita ut in ipsa definitione nostrae dogmaticae Constitutionis suum locum occupare debeat. In hac stricta et absoluta necessitate consistit tota differentia, quae inter nos versatur, et non in opportunitate aut aliqua relativa necessitate, quae iudicio Romani Pontificis rerum circumstantias ponderantis prorsus remittenda est. Haec proinde in definitione Constitutionis dogmaticae locum habere non potest.

„His praemissis ad axioma de capite et membris me converto, et respondeo: Oratio figurativa non est argumentativa, seu, uti communiter dicitur, omnis similitudo claudicat. Et quod haec similitudo sic applicata revera claudicet, sequenti ratione ostendi potest. Nonne etiam laici, inter quos sunt plurimi, qui et scientia et pietate praestant, et multo magis sacerdotes, qui munere docendi parochianos funguntur, pertinent ad membra Ecclesiae? Quis dubitat? Anne ergo etiam isti consilio et auxilio suo debent iuvare Papam in ferendis iudiciis dogmaticis? Nequaquam. Et cur? Nonne, quia non pertinent ad Ecclesiam docentem? Bene, sed simul patet, quod similitudo de membris et capite claudicet. Sed iam quaeritur, utrum non etiam Episcopi, quamvis sint constituti a Deo testes, doctores et iudices

<sup>1</sup> Luc. 22, 32.

fidei christianae, se habeant ad Papam pro universa Ecclesia deficientem et doctoris universalis munere fungentem ut discipuli ad magistrum? Ita est. Hoc enim innuunt verba Christi ad Petrum, et nomina iudicis supremi, doctoris universalis, pastoris totius ovilis Christi. Proinde etiam hac ex parte claudicat similitudo adducta; et consequentia de necessitate consilii Episcoporum concidit.

„. . . Sed denuo instant et dicunt: Hoc verum est post factam a Papa definitionem solemnem; tunc utique non solummodo laici, sed etiam sacerdotes et Episcopi tenentur se submittere auctoritati infallibili Papae; sed hoc non valet ante factam definitionem; ad talem definitionem faciendam debent concurrere Episcopi. Nam (et hoc est axioma secundum), sicuti Episcopi nihil possunt in dogmatibus condendis sine Papa, ita nec Papa sine Episcopis. Inspiciamus rem ex utraque parte. Episcopi in dogmatibus fidei condendis nihil possunt sine Papa. Hoc verum est; nam decreta de fide etiam a Concilio generali edita infallibilia et firma non sunt, nisi fuerint confirmata a Papa.

„Causa huius rei non ea est, quae ex hoc ambone aliquoties, dolens dico, indicata fuit, scilicet, ac si omnis infallibilitas Ecclesiae sit sita in solo Papa et a Papa derivetur in Ecclesiam et illi communicetur. Hoc quidem iuxta celeberrimum quoddam systema theologicum potest dici de iurisdictione; nam natura iurisdictionis ea est, ut possit, imo debeat aliis communicari. Quomodo vero infallibilitas potest communicari? Hoc non intelligo<sup>1</sup>. Vera ratio, cur Episcopi etiam in Concilio generali congregati sine Papa in rebus fidei et morum non sint infallibiles, ex eo repetenda est, quod Christus hanc infallibilitatem toti Ecclesiae magisterio, id est Apostolis simul cum Petro, promiserit dicens<sup>2</sup>: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*; ideo Episcopi nihil possunt sine Papa. An autem iudicio inverso Papa nihil possit sine Episcopis? Haec inversio nihil est, cum Christus soli Petro dixerit: *Tu es Petrus*<sup>3</sup>. . . *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua*<sup>4</sup>.

„Sed denuo instant et dicunt (et hoc est tertium axioma): Consensus ecclesiarum est regula fidei, quam etiam Papa sequi debet; et proinde debet ante definitionem consulere rectores ecclesiarum, ut certus sit de consensione ecclesiarum. Respondeo: Res iam ad triarios devenit, et accurate distinguendum est inter verum et falsum, ne patiamur naufragium in portu. Verum est, quod Papa in suis definitionibus ex Cathedra eosdem habet fontes, quales habet Ecclesia, Scripturam et traditionem. Verum est, quod consensus praedicationis praesentis totius magisterii Ecclesiae unitae cum capite sit regula fidei etiam pro definitionibus Pontificis. Ast exinde nullo modo potest de-

<sup>1</sup> Sed cf. infra p. 189 sq.

<sup>2</sup> Matth. 28, 20.

<sup>3</sup> Matth. 16, 18.

<sup>4</sup> Luc. 22, 32.

duci stricta et absoluta necessitas illam exquirendi a rectoribus ecclesiarum seu ab Episcopis. Nam haec consensio potest saepissime deduci ex claris et manifestis testimoniis Sacrae Scripturae, ex consensione antiquitatis, id est, sanctorum Patrum, ex sententia doctorum vel aliis modis privatis, quae omnia ad plenam informationem sufficiunt.

„Demum nunquam praetermittendum est, quod Papae praesto sit illa traditio ecclesiae Romanae, id est illius ecclesiae, ad quam perfidia non habet accessum, et ad quam propter potentiolem illius principalitatem omnem oportet convenire ecclesiam. Proinde stricta illa necessitas, qualis requiritur ad constitutionem dogmaticam, nullo modo potest demonstrari. Potest accidere casus aliquis ita difficilis, ut Papa necessarium putet pro sua informatione, sicut id factum est, cum ageretur de dogmate immaculatae Conceptionis, quaerere ex Episcopis, tanquam medio ordinario, quid sentiant ecclesiae; sed talis casus non potest statui pro regula.

„Insuper, quod bene notandum est, omnes sciunt, regulam illam de consensione ecclesiarum in praedicatione praesente valere solummodo in sensu positivo, nullatenus vero in sensu negativo; id est, omne quod universalis Ecclesia consentiens praedicatione praesente tanquam revelatum suscipit et veneratur, certe est verum et catholicum. Ast quid fiet, si dissensio inter ecclesias particulares exoritur, si controversiae de fide insequuntur? Tunc iuxta Lirinensem recurrendum est ad consensionem antiquitatis, id est ad Scripturam et sanctos Patres; et ex consensione antiquitatis dissensio praedicationis praesentis est resolvenda.

„Iam notum est, quod iudicia dogmatica Pontificis Romani vel maxime versentur circa controversias fidei, in quibus fit recursus ad Sacram Sedem; Pontifex Romanus ergo illas definire debet, vel maxime ex Scriptura, sanctis Patribus, doctoribus Ecclesiae, et vel maxime ex traditione ecclesiae Romanae, quae, quod Petrus tradidit, fideliter et sancte custodivit. Quicumque ergo contendit, quod Papa sive ad informationem sive ad infallibile de fide et moribus iudicium omnino dependeat a manifesta consensione Episcoporum vel eorum auxilio, illi nihil reliquum est nisi statuere falsum illud principium, omnia iudicia dogmatica Romani Pontificis in se et ex se esse infirma et reformabilia, nisi accedat consensus Ecclesiae.

„Sed hoc systema aut est prorsus arbitrarium aut totius infallibilitatis pontificiae eversivum. Est arbitrarium, si requireretur maioris vel minoris partis Episcoporum assensus. Nam quis statuet illorum numerum? Quis faciet delectum, cum Episcopi inter se sub hoc respectu sint omnino pares, et assensus quorundam assensui et iudicio aliorum non possit praeiudicare? Ex arbitrario hoc systemate, praecipue cum agatur de assensu subsequente sive tacito sive expresso, quot fluant anxietates, turbae et scandala, historia testis est; sed fa-

vete linguis. Hoc systema est totius infallibilitatis pontificiae eversivum, si assensus totius Ecclesiae requireretur. Nam tunc reapse una sola datur infallibilitas, quae non nisi in toto corpore Ecclesiae docentis residet. Sed hoc in casu decreta Romani Pontificis possunt et debent reformari per Concilium generale, quatenus interim assensus Ecclesiae non ita sit manifestus, ut negari nequeat; Papa non est infallibilis nisi cum Concilio generali. Et ne iterum in infallibilitatem Pontificis ex se solo decernentis recidamus, Papa non poterit confirmare nisi illa decreta Concilii, quae placuerunt maiori parti Episcoporum vel potius unanimitati eorum. Quid vero, si Episcopi non consentiant? Actum erit de iudicio Ecclesiae, conclamatum erit de Ecclesia, quae, teste Apostolo, debet esse columna et firmamentum veritatis.

„Antequam huic relationi generali valedicam, debeo adhuc[dum] respondere ad illam gravissimam obiectionem, qua dictum est ex ambone, nos velle opinionem extremam certae cuiusdam scholae ad dogma fidei catholicae evehere. Sane gravissima haec est obiectio; et cum eam ex ore egregii et etiam aestimatissimi oratoris audirem, tristis caput demisi et oratio mea in sinu meo convertebatur. Bone Deus! anne confudisti mentes, linguas nostras, ut nos traducamur tanquam promotores opinionis extremae cuiusdam scholae ad dignitatem dogmatis, et Bellarminus inducatur tanquam auctor quartae propositionis declarationis cleri gallicani? Nam, ut ab ultimo exordiar, qualis est differentia inter assertionem, quam rñus orator Bellarmino tribuit: *Pontifex non potest aliquid infallibiliter definire citra reliquos Episcopos et sine cooperatione Ecclesiae*, et inter notissimum articulum quartum: *in fidei quaestionibus Summi Pontificis non irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accedat*? Reapse vix ulla inveniri poterit differentia, nisi quis etiam dissensionem Episcoporum cooperationem Ecclesiae vocare velit, et quidem ita, ut definitio dogmatica, etiam dissentientibus Episcopis, sit infallibilis, dummodo illos antea consuluerit. Haec de sententia Bellarmini.

„Quoad vero doctrinam in schemate expositam deputatio iniuste traducitur, ac si voluisset extremam opinionem, scilicet illam Alberti Pighii, ad dignitatem dogmatis evehere. Nam opinio Alberti Pighii, quam Bellarminus vocat piam quidem et probabilem, erat, quod Papa qua persona singularis seu doctor privatus ex ignorantia quadam possit errare, sed nequaquam in haeresim incidere vel haeresim docere. Hoc, ut reliqua omnia missa faciam, apparet ex ipsis verbis Bellarmini, tum in loco a rño oratore citato, tum etiam ex ipso Bellarmino, qui lib. IV. cap. 6. sententiam Pighii sequentibus verbis enuntiat: „Probabile est pieque credi potest, Summum Pontificem non solum uti Pontificem errare non posse, sed etiam ut particularem personam haereticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter cre-

dendo.<sup>1</sup> Ex his apparet, doctrinam, quae habetur in schemate, non esse illam Alberti Pighii, seu extremam cuiusdam scholae, sed illam unam eandemque, quam Bellarminus in loco a rōno oratore citato docet, quarto loco adducit, et quam vocat certissimam et asserendam, vel potius semetipsum retractando, sententiam communissimam et certam.

Rōnus Episcopus Brixinensis igitur, quum ordine emendationum ad illas pervenisset, quibus de Episcoporum vel Ecclesiae consensu ante definitionem consulendo agebatur, deputationem iuxta principia a se exposita eas emendationes excludere dixit, „idque eo magis . . . quia [conditiones in iis pro valida definitione statutae] saepissime sunt valde indefinitae, ita quidem, ut tali ratione solummodo quibusdam cavillationibus potius ansam dare possint, quam re ipsa verificari. Hoc etiam valet de illa conditione, quae habetur in formula sic dicta Antoniniana; nam etiam haec formula pro definitione Concilii, non dico pro tractatu theologico, nimis vaga et indefinita esset“<sup>1</sup>. Quum illae emendationes Patrum suffragiis proponerentur, reiectae sunt a Patribus fere omnibus<sup>2</sup>.

Sed quum postea (d. 13. Iulii) de more tota Constitutio suffragiis subiiceretur, aliqui suo „Placet“ hanc conditionem adiecerunt, ut in definitione mentio fieret consensus Ecclesiae vel Episcoporum a Summo Pontifice pro definitione ex Cathedra exquirendi<sup>3</sup>. Neque tamen in Congr. d. 16. Iulii, quum de exceptionibus ageretur, de hac re iterum tractatum est. Spectabat enim ad res, de quibus abundanter tractatum et Congregationis generalis sententia iam lata erat.

Eorum, qui definitioni infallibilitatis pontificiae adversabantur, tantum intererat, ut illa de ecclesiarum testimonio additio in definitionem reciperetur, ut eorum deputati vespere pridie, quam de exceptionibus in Congregatione generali ageretur, Summum Pontificem adirent promissuri, fore ut suffragium „Placet“ darent, si duo in Constitutione mutarentur, ex quibus alterum erat, ut reciperentur verba „innixus testimonio ecclesiarum“<sup>4</sup>. Idem Rōnus Archiep. Parisiensis sequenti die literis ad Summum Pontificem datis promisit<sup>5</sup>. Is per Subsecretarium Concilii respondit, se omnia Congregationi generali commissurum, iudicio definitivo sibi reservato<sup>6</sup>. Verba recepta non sunt.

In documentis, quae attulimus, quaestio commemorata saltem est, *utrum duo in Ecclesia existant subiecta infallibilitatis*, Summus Pontifex et universitas Episcoporum cum Summo Pontifice unitorum, *an unum*

<sup>1</sup> Relatio etc. C. V. 411 d sqq.      <sup>2</sup> C. V. 421 c.

<sup>3</sup> Exceptiones etc. C. V. 444 b. c. 452 d sq.

<sup>4</sup> Ex diurnis commentariis etc. C. V. 1702 d. Cf. supra cap. I. Historia originis etc. p. 123.

<sup>5</sup> Epistola Archiepiscopi Paris. etc. C. V. 992 b sq.

<sup>6</sup> Ex diurnis etc. Ibid.

solum, sc. Summus Pontifex, cuius ipsius infallibilitas cum universitate Episcoporum vel cum Concilio oecumenico communicetur<sup>1</sup>. Haec altera opinio clare continetur in emendatione quadam in tricesima nona sessione deputationis de fide proposita: „Quae [infallibilitas Ecclesiae], sicut in ipsa nonnisi ob coniunctionem cum suo capite, Romano Pontifice, existit, ita in ipsam a Romani Pontificis magisterio infunditur atque unicum eiusdem constituit infallibilitatis donum.“<sup>2</sup> Huc referri potest etiam emendatio septuagesima secunda in Congregatione generali proposita: „Quoniam vero infallibilitas eadem est quoad subiectum, sive spectetur in Romano Pontifice tanquam capite Ecclesiae sive in reliquis Ecclesiae pastoribus cum capite unitis et docentibus, eademque quoad obiectum: insuper definimus, hanc infallibilitatem [Summi Pontificis] esse unam eandemque cum infallibilitate Ecclesiae.“<sup>3</sup> Aliquis e Patribus, qui hanc doctrinam reiiciendam putabat, timebat, ne deduceretur e Constitutionis verbis: „Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur . . . ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam . . . instructam esse voluit“<sup>4</sup>. Quare, quum de toto schemate suffragia ferrentur, eam suo „Placet“ conditionem adiecit, ut ille locus mutaretur. Sententiam illam, addit, non posse subsistere. „Nam in definitionibus ex Cathedra subiectum infallibilitatis est Summus Pontifex tantum; in definitionibus Conciliorum oecumenicorum subiectum infallibilitatis per modum unius est Pontifex cum Episcopis ipsi adhaerentibus. Etenim si Episcopi in Concilio oecumenico (quod nemo negat) sunt *coniudices*, sunt etiam *comparticipes* in solidum eiusdem praerogativae iudicandi infallibiliter, id est, sunt in eorum complexu, seu, uti dicunt, in corpore, coinfallibiles cum Summo Pontifice; ergo in Concilio oecumenico et in decretis ex Cathedra non unum idemque, sed diversum est infallibilitatis subiectum.“<sup>5</sup> Etiam Episcopum Brixinensem illam sententiam, qua unum subiectum infallibilitatis esse dicitur, reiicere vidimus. Iurisdictionem dicit cum alio communicari posse, infallibilitatem non posse<sup>6</sup>.

Atque id quidem verissimum est, ipsam infallibilitatem in se cum alio communicari non posse. Neque enim ea potestas quaedam seu qualitas personae inhaerens ac transferibilis est, sed speciali quadam continetur Dei circa eum, cui immunitas ab errore promissa est, vigilantia et assistentia, qua fit, ut is ab errore immunis servetur<sup>7</sup>. Quo-

<sup>1</sup> V. supra p. 185.      <sup>2</sup> Ex actis etc. C. V. 1682 d.

<sup>3</sup> Emendationes etc. C. V. 383 b.

<sup>4</sup> Ea sententia solum infallibilitatis *obiectum* indicari, videbimus commentatione IX.

<sup>5</sup> Exceptiones etc. C. V. 456 d sq.      <sup>6</sup> Supra p. 185.

<sup>7</sup> Propterea etiam vox „subiectum infallibilitatis“ minus apta est, quum infallibilitas non inhaereat personae veluti subiecto inhaesionis.

modo autem is efficere possit, ut Deus etiam alteri speciali illa assistentia succurrat?

Verum etiamsi infallibilitas *ipsa in se* transferri nequit, non repugnat tamen, eam transferri ratione alterius, sc. ratione supremæ iurisdictionis et potestatis docendi. Ut infra notabimus<sup>1</sup>, controversatur, utrum duo sint subiecta supremæ potestatis Ecclesiae, Summus Pontifex et totum collegium Episcoporum cum Summo Pontifice coniunctorum, an unum solum, Summus Pontifex. Quodsi unum solum subiectum est, Summus Pontifex: in hac suppositione hic, cum Concilium ad supremam potestatem secum exercendam convocat, Episcopos convocatos participes facit non solum supremæ potestatis, ita ut omnes v. g. in doctrina definienda vere in solidum ultimam et definitivam sententiam cum Summo Pontifice tanquam veri iudices ferant, sed etiam participes infallibilitatis. Hic enim ipse sententiæ ferendæ actus servandus est ab errore immunis. Hunc autem actum non solus Summus Pontifex, sed omnes Episcopi cum eo tanquam capite uniti in solidum exercent. Qui igitur sententiam sequuntur, exstare unum solum subiectum supremæ potestatis, affirmant etiam necesse est, unum solum habere privilegium infallibilitatis, quod non ipsum in se, sed ratione supremæ potestatis cum alio communicetur.

#### COMMENTATIO IX.

Quid a Concilio Vaticano de obiecto infallibilitatis pontificiæ doceatur.

Theologos constat docere, Ecclesiae magisterium non solum in iis veritatibus proponendis infallibile esse, quæ a Deo in se revelatæ et propterea fide divina credendæ sunt, sed in iis etiam, quæ, licet ipsæ nec explicite nec implicite formaliter revelatæ sint, e veritatibus revelatis tamen ratiocinatione deducuntur seu ad eas et conservandas et explicandas et defendendas ab ecclesiastico magisterio proponi debent. Quum v. g. revelatum sit, animam humanam spirituales esse, eo ipso Ecclesia censenda est infallibilis in iis opinionibus damnandis, quas iudicat cum illa veritate conciliari non posse, v. g. animam humanam generatione produci. Porro, quum Ecclesia doctrinam revelatam verbis enuntiatam proponere atque errores oppositos verbis expressos proscribere debeat, infallibilis censenda est, ut aiunt, „in diiudicandis textibus dogmaticis“ seu „factis dogmaticis“, sc. infallibilis est, quum iudicium fert, certam quandam sententiam dogma aliquod recte enuntiare, seu errorem vere continere, v. g. Iansenii librum, qui inscribitur Augustinus, sensu ab auctore intento, id est naturali verborum sensu, qui iuridice sensus ab auctore intentus habetur, quinque illos errores continere, quos Ecclesia in eo contentos condemnavit. Animadverti-

<sup>1</sup> In adnotationibus ad cap. III. Constitutionis.

mus autem, aliquos theologos etiam omnia illa, quæ cum deposito fidei eo, quo diximus, modo cohererent, vocare facta dogmatica, ita ut breviter dicant, Ecclesiam non solum in veritatibus revelatis, sed etiam in factis dogmaticis infallibilem esse. Id animadvertimus, quum illa vox etiam in documentis atque ab auctoribus nobis citandis eo sensu aliquoties usurpata sit.

Iam Vaticanum Concilium, quum Romanum Pontificem infallibilem esse definiret, eum eadem infallibilitate pollere definivit, qua polleat Ecclesia. Quum igitur de fide sit, Ecclesiam in definiendis veritatibus in se revelatis infallibilem esse, vi definitionis Vaticani Concilii de fide etiam est, Romanum Pontificem saltem in illis veritatibus definiendis infallibilem esse. Porro, quum theologice certum sit, Ecclesiae infallibilitatem etiam ad alias illas veritates se extendere, quæ cum revelatis connexæ sunt, vi Vaticanæ definitionis theologice certum etiam est, Romani Pontificis infallibilitatem ad alias illas veritates se extendere.

Sed quaeritur, num Vaticanum Concilium, quod hac via indirecte tanquam theologice certum cognoscamus, etiam directe docuerit vel definiverit, sc. num etiam directe docuerit, infallibilitatem Summi Pontificis se extendere non solum ad veritates in se revelatas, sed etiam ad alias, quæ cum iis eo, quo diximus, modo connectuntur. Sunt, qui id affirmant.

Ea capituli quarti Constitutionis primæ de Ecclesia pars, qua de obiecto infallibilitatis agitur, hæc est: „... definimus, Romanum Pontificem, cum . . . doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit . . . ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.“ Hoc loco directe doceri, Romani Pontificis infallibilitatem se extendere etiam ad „facta dogmatica“, putat Ioannes B. Andries<sup>1</sup>. In verbis definitionis „doctrinam de fide vel moribus“ fidem intelligit *obiectivam*, id est id, quod fide creditur, seu veritatem revelatam, *non subiectivam*, id est actum seu virtutem fidei, qua credimus. „Doctrinam de fide“ igitur intelligit doctrinam, *quæ fidem obiectivam seu veritatem revelatam respicit*. Ea autem doctrina veritatem revelatam respicit, quæ ad revelatam veritatem conservandam, defendendam, explicandam necessario proponenda est. Ergo etiam in ea definienda Summus Pontifex vi decreti infallibilis esse dicendus est. Eo sensu verba decreti intelligenda esse, etiam inde patere putat Andries, quod Concilium dicat: „quum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit“. Si enim Concilium de solis veritatibus revelatis fide *credendis* loqui voluisset, futurum fuisse dicit, ut loco „tenendam“ posuisset „credendam“ seu „fide divina tenendam“. Usu theo-

<sup>1</sup> Cathedra Romana oder Der apostolische Lehrprimat, p. 202 sqq.